



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXXVIII. Obedientiæ forma. Obedientissima virgo, cunctorum superat  
obedientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

## DISCURSUS XXXVIII.

*Obedientior Patriarchis Maria Virgo, Regina  
est Patriarcharum.*

Exordium.

**P**Ræclaram obedientiam, quam S. Augustinus lib. 2. de Peccat. Meritis & Remissione. *Matrem, & virtutum custodem* nominat, ter optimus Deus sibi summopere gratam & acceptam, adhuc in terris largissimâ benedictione præmiari dignatus est, ab hujus enim exercitio virtutis suam Patriarchæ originem sumpsere, *Patriarcha* quippe ex ipsâ sui nominis ethymologiâ idem sonat, quod *multarum nationum Pater*. Quia in terris Deo obedientes fuere Abraham & Jacob, ideo benedixit illos Deus, ut multarum nationum patres, seu Patriarchæ facti sint; sic Abraham, quia ad Dei mandatum obediens, unigenitum filium suum Isaac propriis manibus mactare paratus fuit, ferro ictum vibrans felix inaudit. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris; possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Gen. cap. 22. Pari modo Jacob, quia obedivit voci matris suæ, & ad ejus verbum patriam dereliquit, apparentem sibi in via habuit Dominum super scalam, dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac; terram, in quâ dormis, tibi dabo, & semini tuo, erit; semen tuum quasi pulvis terræ: Dilataberis ad orientem, & occidentem, & septentrionem & meridiem, & benedicentur in te & in semine tuo, cuncta tribus terræ.* Ecce quantum obedientiæ præmium! majorem & perfectiorem longè Patriarchis obedientiam Maria Virgo, ancilla Domini exhibuit,



buit, non solum benedicta inter omnes mulieres, sed etiam beata, quam dicant omnes gentes Reginam Patriarcharum. SS. Patres suffragiis famulentur. *Pro inobedientia, obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur, circumdat virum Maria, Angelos fidem dando, quia Eva perdidit virum, serpenti consentiendo.* perorat S. Augustinus. Serm. 18. de SS. Et iterum Tom. 10. serm. 2. de Annunt. *O felix inobedientia! o insignis gratia! qua dum fidem humiliter dedit, caeli in se Opificem incorporavit. Spiritus sanctus implevit Abraham fide & obedientia profutura posteritati, sed fide tua & obedientia, O Virgo! mundus salvatus gratias agit.* disertè loquitur S. Amadæus. Homil. 3. *Tempore suo non habuit Abraham parem in fide, nec Isaac in obedientia, nec Joseph in castitate, nec Job in patientia, nec David in humilitate, nec Elias in zelo; sed beata Virgo omnes Sanctos Veteris & Novi Testamenti supergressa est.* scribit Richardus à S. Laurentio. de Laud. B. V. lib. 3. *Maria Virgo obediens invenitur, dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: Eva verò inobediens; non obediit enim, adhuc cum esset Virgo; sicut Eva inobediens facta, & sibi & universo generi humano causa facta est mortis; sic & Maria Virgo obediens, & sibi & universo generi humano, causa facta est salutis; & sicut illa seducta est, ut effugeret Deum; sic hac suasa est obedire Deo, ut virgini Eva Virgo Maria fieret Advocata.* defendit S. Irenæus. adversus Hæreses. lib. 3. cap. 33. *Ancilla prompta ad obsequendum, humilis ad serviendum, & devota ad obediendum.* inquit B. Albertus Magnus in Lucam. *Verè ancilla, qua nec dicto, nec facto, nec cogitatu, unquam contradixit Altissimo; verè ancilla, qua perpetuo servavit se mancipatam servitio: libera namq; alia Deo famulantur obsequio, hac quasi mancipium Dei, se totam famulatui mancipavit, nihil sibi libertatis reservans, sed per omnia subdita Deo, & vel ideo exaltata; O felicem ancillam, cui ancillatur omnia, o beatam famulam, cui omnia famulantur!* exclamat S. Thomas à Villâ Novâ. Conc. 1. de Annunt. *O Regina Patriarcharum, impetra nobis gratiam Spiritus sancti,*

SS. Patr.

S. Augustinus.

S. Amadæus

Richardus  
à S. Laur.

S. Irenæus.

B. Albertus  
Magnus.S. Thomas  
à Villâ Novâ.



ut obedientiæ tuæ magnitudinem dignis Conceptibus ponderemus.

## CONCEPTUS I.

Confirma-  
tio, seu De-  
ductio,

Ad perfectam obedientiam duo requirit S. Bernardus, de Præc. & Dispens. Primò, legem nescit sive mandatum perfectè obediens, id est, non expectat mandatum perfectè obediens, sed jubenda obsequio præoccupat, & quasi certus de mandato, perficit opus antequam demandetur. Secundò, adimplere legem, cui quis non est subiectus, sed ratione dignitatis, vel alterius prærogativæ eximitur, promptitudinem signat obsequiosam, & est perfecta obedientia, uterque enim laude dignus est, tam qui executionem rei demonstrat, antequam jubeatur, quam qui præstitit obsequium, ad quod non obligabatur. Quandonam mandavit Deus, ut Maria Virgo humillima suam Domino virginitatem voveret? *O Virgo prudens! ô Virgo devota!* (exclamat, & querit S. Bernardus. Hom. 3. super missus est) *qui te docuit Deo placere virginitatem, qua lex, qua justitia, qua pagina veteris Testamenti, vel præcipit, vel consulit, vel hortatur, in carne non carnaliter vivere? & in terris angelicam ducere vitam?* Præceptum de voto virginitatis nec scivit, nec expectavit piissima Virgo, sed præoccupavit, ante omnem divinæ voluntatis notitiam trienis puella, Dei vota præveniens, eique soli placere desiderans, Virginitatem suam Deo vovit, seseque totam obtulit Domino. Ita S. Antoninus Part. 4. Tit. 15. cap. 20. §. 10. *Maria Mater omnium in virginitate, prima sine præcepto, consilio, vel exemplo gloriosum virginitatis munus Deo obtulit.* Virgo obsequiosa, Virgo perfectè obedientissima. Ad idum perfectæ obedientiæ Marianæ requisitum veniamus. Nonne hæc eadem Virgo humillima, legi sese obedienter subjecit, illamque sponte adimplere legem, cui ob angelicam puritatem, & Matris Dei dignitatem nullatenus tenebatur; narrat de eâ S. Lucas Evan-



Evangelista. 2. cap. *Postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sifterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* O immaculata Mater! num fortè puritatem tuam non respicis? Cur ergo quæ aliarum mulierum immunditiam non contraxisti, commune tamen immundis destinatum remedium usurpas? Tu utique ô purissima Virgo, purificationis legi subjecta non eris? Respondet pro Virgine Dionysius Carthusianus, *Voluit autem Maria dignissima subijci legi, & quasi purgari in templo, ad dandum obedientia, & humilitatis exemplum.* adhuc clariùs Hugo Cardinalis. *In cumulum obedientia, quæ plus facit, quàm teneatur facere.* O verè perfecta repetitis vicibus Mariæ Virginis obedientia! Celebret nunc obedientiam suam Abraham, quæ filium suum unigenitum Deo mactare paratus fuit, dicam ego prævium fuisse Dei præcipientis mandatum. *Abraham! Abraham! tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atq; ibi offeres eum, in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Gen. 22. cap. Obedientiam suam deprædicet quoque Jacob Patriarcha, quæ patrios lares sponte reliquit, reponam & ego matris iussionem urfisse, patris suafisse benedictionem. Longè supra omnes Patriarchas obedientior Virgo Deipara sine præcepto, sine consilio, se ipsam Deo hostiam pacificam obtulit, suamque voluntatem Deo integrè renuntiavit, dicens; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Lucæ. 1. cap. Nec non legi purificationis, à quæ Virginis puritate, & Dei Matris dignitate exempta erat, sese subjecit, obedientissima Patriarcharum Regina.

## CONCEPTUS II.

Optimus ornatus muliebris, Mariæ Virginis in cælestibus gloriosæ, sunt murenulæ, eâ potissimùm ratione, quia Deus ipse præparavit illi, conformiter suo promisso.

mm 3

Cant.



Cant. 1. cap. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Cur Deus ipse murenulas Virgini fecit? Cur opus hoc Angelo non confidit? Dubium solvit Honorius Augustodunensis, super Cantica cap. 1. *Murenula sponsa, obedientiam significant Maria, obedientia hac Maria, cujus typus & figura sunt murenula, adeo perfecta fuit, ut solus omnipotens & omniscius Deus, ad efficiendum hujus obedientia exemplar, & similitudinem sufficiens artifex esse possit.* Cedat proinde omnis obedientia Virgini, & Regnam obedientium, Regnam veneretur Patriarcharum.

### CONCEPTUS III.

In Personâ Unigeniti Filii Dei, rogat David, pro conservatione imperii, & hæreditatis Domini. Psal. 85. *Da imperium tuum puero tuo, & saluum fac Filium ancillæ tuæ.* Nōne ex sacris litteris notum est, quod in veteri Testamento, per Patriarchas Abraham, Isaac, & Jacob, omnes gratiæ à Deo peti solitæ fuerint, Deus etiam, quicquid justum & honestum per illos poscebatur, facile & sine contradictione concesserit, utpote quorum obedientia, Dei affectum captivabat: Quomodo ergo David vir secundum cor Dei, nomine Verbi divini gratiam non per Patriarchas quærit, sed per ancillam? *Salvum fac Filium ancillæ tuæ.* Quænam illa ancilla est Deo tam grata, supra Patriarchas à Domino in honore habita? Quæstionem movet S. Augustinus in hunc locum, & simul etiam respondet: *Cujus ancilla, nisi illius, qua dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Nempe Maria Virgo, obedientissima Domini ancilla est, ob præcellam ejus obedientiam, Deo super omnes Patriarchas, supra omnes accepta est creaturas, quicquid per eam petitur, haud dubiè ex instanti obtinetur, ipsa ergo est, & manet in æternum Regina Patriarcharum.

Epilogus.

Hanc itaque potentissimam Patriarcharum Regnam humiliter invocemus, ut pro nobis intercedere dignetur, quatenus



tenus piæ protectionis ejus suffragio, divinis inhære mandatis, voluntati divinæ in omnibus obedire, ac tandem coronâ gloriæ cum omnibus sanctis coronari mereamur; dicamusque cum Ven. P. à Jesu Mariâ, Tom. 4. Epist. ad B. V. *Ad te confugimus, ô potentissima Reginarum, qua contrivisti caput serpentis, ut sub umbrâ protectionis tuæ certemus bonum certamen, faciamusque tandem victoriam magnam, ac postremò tandem in æternum cantemus inestimabiles misericordias tuas. Amen.*

*Angelicis credit verbis, famula instar obedit,  
Fitque sinu Matris, verbo repleta Patris.  
Nam se resignavit Domino, totamque dicit,  
Dona Regina meo cordi, parere Deo.*



DI.